



NOVA POSONIENSIS.

ANNO CHRISTI MDCCXXII.

DIE XIII MAII.

M

Adritti, a. d. 5. Aprilis.
Præteritis hisce diebus edictum fuit a rege, vt præcipui ex aula homines ad iter se præpararent, quod rex proxime secutura Mercurii die Aranguessam versus suscipere constituit. Si quid autem fame quæ de hoc regis itinere in vulgus emanauit, credendum est, rex per omnem in ea arce æstatem agere decreuit, & res publicas, Asturiæ principi, & sanctioris consilii patribus administrandas interea relinquet. Mirabellus *martio*, prouinciæ Castellanae, vicinisque ei oppidis, Johannes autem Stephanus Delletus Sainsonius vrbi Valentiaë præfectus est. Die 24. Martii dux S. Simonius, quem legatum in hanc urbem mi-

ferat rex Galliaë, veredis veetus Lutetiam Parisiorum remigravit.

Parisis, a. d. 12. Aprilis. Hesternadie rex, postquam Sacris apud Capuccinos interfuerat, animi relaxandi causa, in campos, quos dicunt Elysios, exspatiatus est, vnde nocte propemodum adulta, in palatium recessit. Sunt, qui Moruillium *Comitem*, undemque regni Commentariensem, proxime ad Conuentum Cameracensem, arbiturum dicunt. *Prodominum* Ambianum, Chaulnii ducis filium, annos natum duodecim, despondisse sibi ferunt, filiam Tingrii principis natu maiorem, quæ sextum ætatis annum nondum excessit. Montfortius autem, quem vnum Dux Luineus filium nactus est, natu minorem eiusdem Tingrii principis filiam sibi iunxit, quæ eiusdem

dem fere est cum sponso ætatis & annum postquam nata est, quintum agit.

* *Vidamæ d' Amiens.*

Alia, a. d. 17. Aprilis. Jam omnis P. Lignierio in eo versatur cura, vt illis imbuat regis animum placitis, quæ scire illorum interest, qui sacra cœna rite frui cupiunt. Fama rursus exiit, regem proximi mensis septembris die prima, regno inauguratum iri, & ceremoniarum magistrum, eam potissimum ob causam, Rhemos abiisse perhibent, vt tam solemni pompæ mature omnia in ea vrbe præparentur, Corpus exanime Cendrierii, summi redituum, in Flandria præfecti, qui a die 25. præterlapsi mensis, nemini fuit visus in fluuio quodam, duobus confossum vulneribus, inuentum est. Homo quidam priuatus artem inuenisse dicitur, qua ferrum emolliri atque stanni instar albicans reddi queat.

Londini, a. d. 14. Aprilis. Cum nuper in comitatu Middlesexensi deligerentur, qui proximis interessent regni comitiis, illi, qui aulicorum fauent partibus, sequentia candidatis suis inculcauerunt litteris,

- I. Nemo temere quacumque excusatione vtatur, quoties vtriusque curiæ patres conuocantur, & non honoris, sed boni publici causa, ad eiusmodi se ablegatum fuisse comitia, cogitet.
- II. Quilibet omni prouideat studio, vt ne vltra tres annos comitia deinceps extrahantur.
- III. Quotiescunque de pecunia vsibus impendenda publicis consultatio suscipitur, ante omnia vnicuique sedulo dispiciendum est, quid sumtum res postulet publica, & qua ratione id erogari debeat.
- IV. Omni ratione cauendum est, ne

quid detrimenti e societate Austri res publica capiat.

- V. Ratio quoque habenda est miserorum hominum, qui in carceribus quibusdam captiui detinentur.
- VI. Omnia, quæ a patribus vtriusque curiæ sancita, & a rege probata fuerint, clarissimis in tabulas publicas referantur verbis, ne habeant deinceps Jure consulti, quod contra eorum, qui isthæc pertulerant, sententiam interpretari queant.
- VII. Nihil temere decernatur, nisi omnia, quæ inde sequi poterunt, rei momenta adcurate expensa fuerint.
- VIII. E re præterea ablegatorum omnino futurum esse censemus, si quandoque de rebus, quæ cum bono coniunctæ sunt publico, eos, a quibus delecti fuerunt, consulant, hac enim ratione, ab omni se liberare poterunt culpa, etiam si plurimorum suffragiis aliquid dare debeant.

Cokius ille, qui Crispum, ad finem, insidiosè interficere voluerat, nudius quartus vltimo adfectus est supplicio; Wædburnio autem, cuius is ministerio fuerat vsus, lequeo gula fracta fuit.

Hagæ Comitum, a. d. 22. Aprilis. Summi Hollandiæ & Frisiæ occidentalis ordines heri quidem prodierant in Circulum, sed finitis hodie consultationibus ad alia digressi sunt. Tempus, quo pestilentiaæ metu, omne cum Gallia, qua meridiem spectat, commercium adhuc sublatum est, tres menses a cellissimis totius Belgii fœderati ordinibus, prorogatum esse ferunt.

Bruxellis, a. d. 22. Aprilis. Leathesius, qui huc vsque Anglorum causa, nobiscum vixit, permittente magnæ Britanniæ rege, propediem Londinum abibit. Illum hesternò die, Prius marchio, cum aliis Anglis atque Electoris Palatini, nec

non celsissimorum in Belgio procerum legatis, splendidissimo excepit conviuium. Haud ita pridem aliquis, adsumto nomine *comitis* Lascaris, in hanc urbem venit, qui longa cognatione Constantinum XIII. Palæologum, imperatorem Constantinopolitanum contingit: quem propterea tam illustri stirpe genitum, magno omnes prosequuntur honore, suamque illi obseruantiam testantur.

Genue, a. d. 18. Aprilis. Cum illis nauibus, quæ ePortu Liburno ad nos appulsæ sunt, Anglica etiam vna accessit, quæ tamen protinus Speciam migrare debuit, vt merces, quas aduexit, liberiore expositæ aëri, tutius postea admitti possint. Alia quoque nauis Anglica, Panormo huc venit onusta tritico, vt tempore, quod probandæ sanitati præfinitum est, exacto, Maioricam ei proficisci liceat. Illius autem nauis, quæ ex Regno Tunetano accessit, præfectus, complures ibidem ornari triremes, narrat, sed bellicas Barbarorum naues, quæ prope Corsicam commorabantur, tempestate abreptas, cursum suum versus orientem direxisse. Die Mercurii; Carolus Justiniani, Londino, rebus suis ex sententia peractis rediit. Præterea quædam e nostrarum numero nauium, Tabarca ex Algeriano regno, coralliis, cera & aliis varii generis mercibus onusta, appulsa est, cuius dominus nos docuit, præter plurimas triremes, duas illic instrui naues bellicas, quibus Barbari aduersus Sardinensium triremes vti decreuerunt, vtpote quæ non ita pridem, nauigium quoddam piraticum, captum abduxerunt. Litteris, quas Lugduno Gallorum accepimus, nuntiatum nobis est, luem pestiferam Auenione, die 26. & 27. mensis superioris maximopere denuo sæuire cœpisse, quo-

tidie namque plus minus 120. homines eadem corripit.

Mediolani, a. d. 22. Aprilis. Summum militum præfectum Zum-Jungenium, in Siciliam breui rediturum aiunt, Comes, Franciscus Viscontius, morbo implicitus vitam finiit.

Venetis, a. d. 25. Quas Constantino- poli, die 19. Martii Mensis exaratas accepimus litteras, nihil iam illic luis pestiferæ obseruari, nuntiant. Nauem quandam Melitensum piraticam, lembum turcicum cum loculis aliquot pecunia plenis, in conspectu classiculæ turcicæ, rapuisse.

Ex Portu Liburno, a. d. 17. Nihil adhuc Galli mercatores, suis apud Magnum Hetruriæ ducem precibus proficere potuerunt, neque vllæ ex Prouincia venientes naues admittuntur. Genueses autem nostras pari ratione a finibus suis arcent, neque prius in portus suos eas intromittunt, nisi vectores earum suam satis probauerint corporis sanitatem.

Hafnia, a. d. 18. Aprilis. Hodie horis pomeridianis vehemens coorta fuit procella, qua complures mercatorum naues sunt violatæ.

Alia, a. d. 21. Summus vigiliarum præfectus, Arnoldus, omnia iam ad iter comparat, propediemque Holmiam proficiscetur, legati extraordinarii munere illic functurus.

Holmiæ, a. d. 6. Aprilis. Imperatoris Russiæ legatum sæpissime cum præcipuis aulæ proceribus conferre animaduertimus consilia, qua re complures in eam audimus fuisse adductos sententiam, vt foedus aliquod, commerciorum causa propediem constitutum iri existiment. Cedercreuzius, quem legatum rex destinauit in Russiam nunc sarcinas aptat itineri, proxima hebdomade

made Petriburgum abiturns. Quamquam multa huc vsque iactata fuerint, de regis in Germaniam itinere, rerum tamen gnari, nihil illo incertius esse arbitrantur.

Alia, a. d. 8. Aprilis. Rex noster e villa Gildenstolpii Comitum, in quam is venandi causa se contulerat, sospes incolumisque die prima mensis presentis in hanc urbem rediit. Postero die, quidam ex aula proceres, cum exterorum principum legatis, gratulationis defuncti sunt officio, quibus ille pellem, vrsu ingentis magnitudinis detractam, ostendit, quem suis ipse interfecit manibus. Regina propter capitis dolores, quibus valde laborat, aliquot iam dies suo se conclavi continuit. Bestuchovius Russorum legatus, Imperatorem suum maximopere optare dixit, ut duci Holsato-Gottorpiensi titulus *Altitudinis regiae* in posterum tribueretur, cui tamen nihil ad hæc a rege responsum fuisse comperimus.

Hamburgi, a. d. 28. Aprilis. Heri ciues in curiam euocati monitique fuerunt, ut Imperatori Romanorum facerent satis, & communi omnium suffragio, eiusdem legato Goerzii ædes tribuerent. At illi, multis sermonibus vltro citroque habitis, ad eundem precibus, censuerunt Imperatorem, ut assententia, qua ædes Goerzianas, suo tribui legato statuit, paulisper decederet, plures enim inueniri principes, qui aliquid sibi in has ædes iuris esse contendunt. Quid rerum ad hæc responsurus sit Imperator, tempore proximo edocebimur.

Petriburgi, a. d. 1. Aprilis, Magno apud nos belli apparatu omnia strepunt, & milites quotidie sunt in armis, ac ne quid illis otii concedatur ab ordinariis laboribus, munimenta Cronschlotti,

nupera eluuiione valde lacerata, reficere iubentur. Hortus qui Petrihofio adiacet, tam horrenda obrutus est aquarum illuuiæ, ut vix culti soli vestigium eo loco reperiatur. Imperator noster edito nuper mandato, omnes Russiæ proceres monuit, ut filios suos in exteras mitterent regiones, iisque informari iuberent artibus, quæ ad rempublicam bene feliciterque administrandam pertinent. Neminem enim se deinceps admoturum, dixit cuiquam muneri, nisi animum artibus ac disciplinis satis instructum adtulerit.

Iipsia, a. d. 26. Aprilis. Augustus Poloniarum Rex Saxoniæque Elector Dominus noster indulgentissimus heri die iam inclinata, Dresda in urbem nostram venit.

Vienna, a. d. 6. Mai. Proxime præter lapsa die Saturni, Augustissimus Imperator, quamplurimis præcipuæ dignitatis viris, in Secessu Laxenburgensi, sui conueniendi dedit potestatem. Eadem die Excellentissimus comes Mercius, Summus copiarum Cæsarearum in Comitatu Temesuariensi præfectus, in prædia, quæ nuper admodum in Hungaria sibi comparauit, profectus est. Ea ipsa die cursor ex Aula ad Eminentissimum Cardinalem Althanium, Pro Regis Neapolitani dignitate nuper ab Imperatore ornatum, Romæque adhuc cum litteris magni momenti missus est.

Alia, a. d. 9. Mai Quamuis Imperator Augustissimus, in Secessu Laxenburgensi quotidie ardearum venationi deditus sit, sæpe tamen conuocatis sanctioris consilii patribus de rebus summis consultare solet, neque cuiquam secum loquendi tempus negat. Caroloregio, quæ vrbs comitatus Namurcensis est, accepimus literas, ex quibus Baronem Batteum, vrbs eius præfectum, vitam cum morte commutasse intelleximus.